

Fabricius

De  
debitis  
feudalibus

1782







P. 246



33

DE  
DEBITIS FEUDALIBUS

EGRUMQUE  
SOLUTORUM REFUSIONE  
DISQUISITIO,

AD  
FEUDA IMMEDIATA  
BORUSSIAE TERRARUM APPLICATA.

AE  
J. F. FABRICIO,  
AD CAS. CRIM. CONSILIAR. REG. IN DUC.  
MAGDEBURGICO.



---

DESSAVLE ET LIPSLE  
IN BIBLIOPOLIO ERUDITORUM,  
MDCCLXXXII.



DEBITIS FEUDALIBUS

SOLLTORUM REFUSIONE

DISPOSITIO

FEUDALIMMUNITATIS

J. F. KREUZER





De  
debitis feudalibus, eorumque solutorum refusione,  
disquisitio, ad feuda Borussiae terrarum immediata  
applicata.

### Præmeditatio.

§. I.  
**F**eudum, puta rem, quod sit: *dominium utile, ob fidelitatem, feudalem concessum, eum in finem in animum revocare liceat, ut de essentialibus feudi simul recordemur. Non minus vero, quod contractus feudalis sit: actus juridicus, quo datio in feudum a parte domini, ab altera vero, vasalli nempe, fidelitas promittuntur. Tandem, quod investitura propria, det pacto implementum efficax per actum solennem, cum simultanea jus tantum reale tribuat. Denique quod comprehensio sub investitura, non idem sit jus investituræ, sed contineat tantum, de danda investitura, ei, quem ordo succedendi monstrat, obligationem perfectam domini, correspondentem juri succedentium ex consuetudine, vel ex providentia.*

§. II.  
Pariter, ut in memoriam redeat: antiquissimis temporibus, in domini potestate fuisse, ut, quando vellet, rem in feudum datam potuerit auferre; postea autem eo ventum fuisse, ut per annum, mox vero ad vitam fidelis, feuda concederentur; tandem, ut ad filios devenirent per successionem, a domini gratia depen-

A

depen-



dependisse; Denique in Germania, post tempora Carolingica, primos acquirentes, partim, per pacta, liberis successione acquisivisse, partim ex gratia principum liberos vasallorum admissos, eoque consuetudini feudali viam stratam fuisse, ita, ut tandem successiones ad feudorum naturalia relatæ fuerint; I. F. I. §. I., non a re alienum est, quia inde nascitur, quod neque per longinquitatem temporis possessionis in una persona, neque vero per possessionem successivam, vel ex gratia domini, vel ex pactis, vel denique ex consuetudine, essentiali feudi præjudicium evenerit, sed manserit res domini nunc concessa, tunc in feudum danda. Sid igitur successio ex pacto vel ex consuetudine, tamen est: *successiva possessio cujus auctor dominus est, non antecessor, & jus succedendi, an ex pacto, an vero ex consuetudine natum, nihil aliud est, quam: jus ejus, qui sub pacto comprehenditur, vel per consuetudinem vocatur, erga dominum, ut ordine successione devoluto, de re feudali eum investiat, correspondens obligationi domini de danda investitura.* (§. præc. I.) Dicitio igitur: quod feudum devolvatur, significat: *tempus præsentanei juris devoluti efficacia.*

*Peter Müller in Diss. de ere alieno, a succ. feudi solvendo Cap. I. th. vi.*

### §. III.

Quæ cum ita sint, omne feudum rectum, oppositum mere hereditario sic dicto, adhuc est personale, si verum est, quod res sit domini, ex jure concesso usufruenda, ideo proprio jure ad successores non transmissibilis ipsa, propterea que necesse sit, ut, cujuscunque post mortem vasalli possessoris, revertatur ad dominum, ut ex necessitate quæ ei incumbit statim conferre debeat alteri, compræhensorum sub investitura, per ordinem succedendi, designato.

*Barthol. Camerarius de prohib. feudi alienat. §. præcerea ducat. p. 787.*

Licet enim, pro more, successor statim arripere soleat possessionem feudi devoluti, hoc tamen non fit nisi per brevis manus quasi traditionem, nec excludit domini interventum, cum nec omitti possit investituræ petitio, quæ dominum largitorem amplectitur, & indicat, actum apprehensionis juri domini innoxium se velle impetrantem. Cum & fidelitatis promissio feudi possessionis conditio sit, quæ electa in uno, alterius dici non potest, sequitur, successorum nemi-



neminem sub promissione fidelitatis antecessoris comprehendendi, sed quem libet, per actualem investituram, se ad fidelitatem præstandam obligare, & feudi possessionem mereri, dominum itaque intervenire debere ad feudi possessionem qualificatam efficiendam, licet jus successoris valeat, quo minus a domino investitura denegari possit.

§. IV.

Nec obstat, quod successores jus suum ex ipsis investiturarum litteris, derivare queant. Sunt enim, præter ea, quæ ad essentiam nexus feudalis pertinent, indiscriminatim sæpe, quæ ad eum non spectant, in illis contexta, sejungenda potius, & quæ referri debent ad pacta adjecta, vel ad ea, quæ ex consuetudine feudorum, naturalia dicuntur. Hinc vero non sequitur, quod ea, quæ ex providentia majorum I. F. 14.

*Cowad. Rittersbus. Partit. 1. Feud. Cap. XI.*

vel ex consuetudine proficiuntur, propter illam contextionem, essentia feudi, quod, ex actuali contractu & propria investitura, personale sit, præjudicent, sed, in quantum ad jus & ordinem succedendi, nihil aliud per eam efficitur, quam juris eidemque correspondentis obligationis probatio. Jus enim illud, licet cum feudo connexum, a feudi essentia sejunctim tamen considerandum, transmittitur juxta ordinem compactum, vel per consuetudinem introductum, non vero simul feudum. Correspondens juri est obligatio domini, quæ etiam, ex natura juris, ejus heredem vel successorem stringit. Nec ex jure successorum dici potest, deberi, si respicis ad antecessorem, proptereaque verum etiam est, feudum ipsum ex jure succedendi a vasallo in vasallum non transmitti, sed jus tantum circa feudum, si illud ad dominum revertitur, ut obligationi suæ erga successorem satisfacere possit.

§. V.

Feuda quoad crinem succedendi tantum hereditaria, differunt a reliquis rectis sic dictis, in hoc ordine succedendi, & licet propterea ad irregularia referri debeant, tamen, quæ ad essentiam feudi spectant, ea non exiunt, & propterea, per dominum intervenientem pariter, suo quidem ordine transmittuntur.



tantur. Ea vero feuda, quæ homini pro se suisque heredibus quibuscumque concessa sunt, mere hereditaria, propter illam hominis expressionem ita convertuntur, ut feuda ipsa efficiantur hereditaria, & propterea per sanguinem transmittantur. Quæ cum sapiant naturam allodii, huic disquisitioni non subiacent. II. F. 48.

*Rhetii Comm. in J. F. comm. 318. n. 34. & 342. n. 23.*

*Barth. Camer. v. l. c. p. 776.*

*a Rosenthal de feudis C. II. T. XXX. n. 2.*

§. VI.

Qui circa feudum, ex providentia successores cogitari possunt, respectu domini, tamquam communis largitoris, familiam feudalem constituunt. Hæc esse incipit, simul ac feudum, a primo acquirente ad proximos sub investitura comprehensos devolutum est, vel si ab initio per simultaneam investituram feudo adscripti, vel si etiam, in feudo sub forma antiqui concessio, collaterales adsunt, qui sub investitura prima comprehenduntur. *Quoties igitur plures occurrunt, quorum jus proprium circa feudum considerandum venit, toties, familiam feudalem esse, dicitur.*

§. VII.

Familiæ feudali *res est cum domino, non vero cum vasallo possessore, nisi in quantum id quod interest convenit cum jure domini, quo enim in casu, cum etiam contra tertium experiri liceat jus, multo magis contra eum e familia, qui rem detinet, ad quam aliquando adspirare jus est, per dominum adventuram.*

§. VIII.

In feudo concessio, disjunctim consideranda veniunt: & *feudi substantia, & jus vasalli possessoris cum ea connexum.* Illa est: *res determinata quoad qualitatem, quantitatem & modum fruendi.* Hoc: *habet facultatem plenam usufruendi substantiam, ex proprietate pro parte concessa possidendam.* Illa, est *res restituenda.* Quæ vero ex hoc veniunt, *sibi habet vasallus, & acquiruntur ejus allodio.*

§. IX.



## §. IX.

Cum feudi substantia fit res restituenda, & quidem res domini ex proprietate sibi reservata, sequitur, per hoc jus domini excludi, facultatem vasalli possessoris, de feudi substantia, in præjudicium ipsius, sine ejus consensu, disponendi. Quum vero & iis, ad quos per successionem pertinet feudum, jus competat, ut feudi substantia ipsis, juxta ordinem succedendi, a domino conferatur, (§. II. præc.) hoc eorum jus, domini facultates, ita stringit, ut præter eorum assensum de feudi substantia nullo modo disponere possit, & peracta, intuitu substantiæ feudalis, irrita sint. Hinc legis dispositio, II. F. VIII. v. e contrario, in fin. Quoties igitur *valido consensu* domini, hoc est eo, qui *nullius valentis* qua tenetur *auctoritate caret*, suffulcitus, de feudi substantia disponit vasallus, toties perfecte, & legis instar auctoritate, agit.

## §. X.

Domini validus & efficax consensus præ primis considerandus venit, in iis quæ vasallus possessor circa feudi substantiam peregit, (§. præc.) cum *ea pars proprietatis, quæ dominio utili inest*, non sufficiat, ut, eisdem peractis, effectus pleni juris possit tribui, sed eum tantum in finem, concessa ipsi fit: *ut sibi sufficiat, ad fructus feudi evincendos per defensionem & quasi vindicationem possessionis suæ loco domini*, &, *ut feudi substantiam, finita possessione, restituere queat, vel eandem relinquere* successoribus conferendum. II. F. VIII. c. rei autem. Quod autem proprietatis concessæ efficacia, ultra modo dictas facultates, se non exferat, ex eo colligitur, quia licet vasallo non interdictum sit, feudi conditionem meliorem facere, quod nemini, tamen facultati non inest, obligatio, nec illa eam probat, cum potius, ex legibus II. F. VIII. v. e contrario, & II. F. XXVIII. v. si vasallus, appareat, vasallum possessorem, rem salva substantia separabilem, feudo non acquirere, vel potius eidem adscribi, melioramentorum pretium, jus ad heredes transmissibile.

## §. XI.

Ex modo dictis apparet, vasalli possessoris conditionem convenire, cum  
ea ad-



ea administratoris rei restituenda in genere, si ad feudi substantiam respicis. Est qui administrat suum utile dominium,

*Barth: Camerar. de prohib. feudi alien. §. vassallus liberam, p. 624*

cum eo quidem discrimine, ut, qui ex substantia administrationi obnoxia fructus veniunt, eos fidelis, salarii loco, lucretur, & per investituram legitimatus sit, non solum ad defensionem, sed ut etiam, tamquam dominus, a quolibet possessore sibi quasi vindicare possit, suum utile dominium. Si respectu domini administrator substantia feudalis est vassallus possessor, successorum feudaliū vero jus, domini facultates tantum afficit, (§. VII. & IX.) & eo tendit, ut illis eadem feudi substantia servetur conferenda, sequitur eosdem rata habere teneri quæ valida gessit vassallus possessor, nec, adversus eum, iisdem posse competere jure domini potius.

#### §. XII.

Denique de *mellioramentis* notio mihi videtur esse præmittenda. Sint, quoad feudi substantiam, quibus hæc, tempore aperturæ, superatur. Eas vassallo possessori vel ejus heredibus deberi, non legibus citatis solum, sed eo etiam evincitur, quod in lege II. F. I. v. legum autem, disertis, præscriptus sit recursus ad jus scriptum non vilis auctoritatis, hoc vero velit, quod omnium restitutioni obnoxiarum rerum, nempe marito, fundi totalis; usufructuario bonorum usufructuariorum; emtori rei, contractu obligationem recisso; heredi fiduciario, prædiorum, fideicommissi jure affectorum; bonæ fidei possessori, rei bona fide possesse; melliorationes restituendæ sint. Et cum jus feudorum, non minus quam leges Romanæ, æquitatem sapiant, recte judicare mihi videtur:

*Conrad. Rittersbus in partit. I. feud. p. 498.*

si opinatur: melliorationes pertinebunt ad ipsum vassallum vel ad heredes ipsius allodiales, non autem ad dominum, non etiam ad successionem feudalem, videlicet aliquem ex agnatis. Ratio est, quia si diceremus, melliorationes non pertinere ad vassallum qui eas fecit, ejusque heredem, sed ad dominium vel successorem feudi, tum locupletaretur aliquis, cum alterius damno, id quod jure naturæ iniquum est. Accedit quod nemini officium damnosum esse debet, item quod nemo suum jactare præsumitur.

Defini-



Definitio quæ de melioramentis supra, cæterum, lege suffulcitur II. F. XXVIII. v. si vassallus, cum in ea de servitute feudo acquisita, fermo sit. Sed & de iis, quæ in foris, communiter sub appellatione meliorationum venire solent, & quæ circa res cum feudo connexas occurrunt, inter plures idem statuerunt:

J. P. Kress. *Diff. de debit. ex feud. solv. C. II. §. IV.*

P. Müller. *Diff. de ere alieno a success. feudi solv. Cap. II. th. II. XII. & XIII. n. 6. & 8.*

qui etiam, onera exsoluta, suo ambitu complecti, docet, naturæ interpres. Accedit:

*Wernher. sch. obs. for P. VIII. obs. CCCXXXV.*

§. XIII.

Postremo, onus feudale mihi est: quod vel substantiæ, vel fructibus feudi impostum, ita, ut quo deducto, computentur hi, vel illa, in determinatione juris proprii, & transmittantur cum feudo, ad quemvis ejus possessorem. Quo vero modo debeantur, ex pertractione ipsa patet.



# PERTRACTATIO.

## Cap. I.

### DE DEBITIS FEUDALIBUS.

#### §. I.

Appellationem *debitorum feudaliū*, pro eo, quod *debetur ex feudo*, in genere comprehendere onera tam ea, quæ substantiæ, quam ea, quæ fructibus feudi imposita sunt, ex §. præc. apparet. De iisdem omnibus præmitto, quod duo tantum eorum fontes sint, *lex nempe & consensus*. Licet enim non desint, qui ea quæ intervenienti facto originem debere videntur, natura talia, vel contracta, nominare, eaque a legalibus & consensuistis discernere solent: puto tamen, multiplicationem distinctionum esse vitandam, cum ad legalia referri possint; immo debeant. Quod enim ipsi facto inest, sub æquitatis appellatione tantum venit, donec legislator declaraverit, quod id, quod humanitatis, debeatur. Lex juris recepti obligationem necit cum re transeuntem, dum factis versionis & gestionis negotiorum tribuit quasi contractus valorem. Legi itaque potius, quam ipsi negotio, originem debent, proptereaque veri originis nomen iisdem applicare fas est. Aliter enim & consensuata, contractorum nomen mererentur, cum tamen consensus, non ex negotio ad quod accedit, nec quo perficitur, neque demum ex thesi juris quæ ad factum consensus applicatur, sed sua natura, jus sibi eo dicentem obliget, & propterea, juxta fontem legis, consensus alter, ponendus est.

#### §. II.

Quæ sub generali appellatione comprehenduntur debita, vel talia sunt: *quibus feudi substantia afficitur, & debita feudalia in specie sic dicta*, audiunt; vel *quibus feudi fructus tantum afficiuntur*, & dicuntur *vasalli debita*. Si illa, re. alia, hæc vero, personalia, nominari velles, hæc divisio propterea non foret adæquata, quia, quoad ea etiam quæ fructibus imposita sunt, obligatio ex lege, ad quemvis possessorem feudi cum usufructu transit, si annua sunt vel in diem debentur, immo & dominum ipsum debitorem ex lege habere possunt,  
 feudo

feudo ad eum reuerſo; ex conſenſu uero iure reali gaudere poſſunt, de quibus in ſequentibus, error itaque uitari non poſſet. Nec igitur, a quibus, & ab omnibus domino & agnatis, ſed *ex qua re debeatur*, an ex ſubſtantia an uero ex fructibus, *diſcrimen facit ſpecificum*. Interim, breuioris designationis gratia, illa: *uera*, hæc: *ſpuria*, uocare liceat. Hæc omnino ſunt, quia fructus feudi ad allodium uafalli pertinent, ex allodio igitur debentur, & prædicatum feudalitatis tantum ab origine fructuum aſſumunt. Tam uera, quam ſpuria, *legalia & conſenſuata ſunt, prouti uel legi, uel conſenſui originem debent*. Legalia autem, tam, quam conſenſuata, ſunt *uel absolute, uel ſecundum quid*, talia, & abſolutorum illa, hæc ſubſidiariorum nomina merentur, *prouti ſub modo adjecto, ſubſtantiam, uel uero fructus aſſiciunt, nec ne*. Valeant de iisdem regule:

- 1.) *Quoties uel lege, uel ualido domini conſenſu, (§. IX. præmed.) ſubſtantia incumbit onus, ut ex illa debeatur, absolute, uel ſecundum quid, toties, debitum uere feudale, abſolutum uel ſubſidiarium tale, exiſtit;*
- 2.) *Quoties uero uel lege, uel conſenſu, licet omnium, fructibus impoſitum, ita ut ex illis debeatur, absolute uel ſecundum quid, toties debitum feudale ſpurium, abſolutum uel ſubſidiarium eſt. Sequitur*
- 3.) *Quod onus, licet ſubſtantia impoſitum uideatur conſenſu, tamen, ſi domini ualidus non acceſſit, perfectum feudale non ſit, ſed ſpurium, & debeatur tantum a conſentientibus eorumque heredibus, uel absolute uel in ſubſidium, prouti ex tenore conſenſus apparet, ex fructibus perſoluedum.*

### §. III.

Ad debita *feudalia legalia uera & absolute talia*, refero:

- a.) *Impenſas factas in id, ut conſeruetur feudi ſubſtantia determinata;*
- b.) *Factas in quid, quod feudo adjectum eſt fructuoſum.*

Qui enim impendit ſuam pecuniam, quive eam mutuo dat eum in finem, ut impendatur, facta uerſione, jus ex ipſo facto cum ſubſtantia feudi connexum





habet, non quidem ex natura substantiæ feudalis, sed ex applicatione juris civilis satis noti, ad causas feudales licita (§. XII. præmed.

*Leysler Med. ad ff. spec. CLXVII. Med. I.*

- e.) quod *ab initio*, feudo *impositum onues*, ita, ut præter ea, quæ ex nexu feudali veniunt, *domino debeatur*, & feudum minus fructuosum reddit; cum ex pacto, ab initio contractui adjecto, debeatur, legis auctoritate, v. g. Si dominus sibi reservavit partem (valoris) substantiæ feudalis, ut fructus (usura) sibi inde veniant. Creditum vocarem si quis sibi credere, & propria res securitatem præbere posset.
- d.) *Legitimam ex feudo novo filiabus præstandam*; ex natura feudi, quæ juris civilis applicationem pariter admittit.
- e.) Quæ *præterea, ex dispositione legis* vel quæ instar ejus est, *ex consuetudine* satis perspicua, ad onera substantiæ imposita, referri debent. Dare eas, nemo dubitabit.

Animum jam refero ad dispositionem Const. Feud. declar. Marchicæ de cal. Julii MDCCXXIII. §. VII. & XIV. seqq. viduis & filiabus nobilium certam ac determinatam feudi portionem, cum reliquis, assignantem. Regulam tamen serves, quod, *quæ legi statutaria soli originem debent, in dubio præsumantur fructibus imposita*. Arg. II. F. VIII. v. quamvis enim, in fin.

#### §. IV.

*Ad debita feudalia legalia spuria* sed quidem *absoluta*, pertinent: *impensa omnes, factæ in conservationem & utilitatem ejus, quod fructuum lucrandorum, vel conservandorum causa*, & in genere, *perpetua destinationis gratia, cum feudo connexum, ad substantiam feudi ipsam tamen non pertinet*. Vel quæ sub communi & in foris usitata appellatione melioramentorum, veniunt: (§. XII. præmed. in *da*. fin.

#### §. V.

*Debita feudalia legalia vera subsidiaria*, sunt, *quæ legis jussu, ob defectum allodii, ex substantia feudi sunt expungenda*. Videre est exemplum, in dispositione  
tione



tione legis provincialis Magdeburgicæ, quæ vocatur: Policey-Ordnung Cap. VIII. §. XXXVI. juxta quam, filiabus nobilium inopibus, dos juxta pretium substantiæ feudalis determinandum, adjudicatur.

§. VI.

*Debita legalia spuria subsidiaria*, quæ in casum deficientis allodii assignata, collecta, solent esse:

- a.) *Alimenta ad successionem incapaci prestanda.* Primum locum hoc meretur, quia unicum, quod jure feudali communi I. F. IV. Vv. mutus, nititur. Ad cujus exemplum:
- b.) *Impensa in funus decessoris facta.*
- c.) *Sumtus studiorum necessarii, & que ex hoc capite venire solent præterea impense;*
- d.) *Dos filiarum ex feudis antiquis solvenda;*
- e.) *Alimenta iisdem inopibus prestanda;*
- f.) *Quæ in compensationem dotis illatæ, viduæ debentur versione non probata, &*
- g.) *Alimenta indotatis viduis prestanda ad meliorem earum sustentationem, quæ vitalitii nomine primo venerunt;*
- h.) *Quæ loco servitorum equestrum hodie debentur.*

Præter ea similia, quæ ex statutis provinciarum cognoscuntur:

Non vero prætereundum est, quod, si sunt annua, ad successorem transeant in eadem qualitate, quia fructibus imposita; Sin etiam in diem concepta, successor ille, ex fructibus, teneatur, qui possidet, quo debentur tempore. In quantum & dominus feudo ad eum reverso, iisdem obligatus, ex legibus ipsis decidenda quæstio est. (§. II. præc.)

§. VII.

*Debita feudalia consensuata vera & absoluta*, existunt, sub iis determinationibus



*tionibus, sub quibus deteriorem facere feudi substantiam, vel alienare eam licet. Sunt in lege II. F. VIII. v. e contrario, consensus non solum domini, sed omnium etiam eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet feudum. Hi sunt omnes agnati, qui familiam feudalem representant. Domini consensus, propter sibi reservatam proprietatem, & agnatorum propter eorum jus ad possessionem substantiæ (§. IX. seq. præmed.) Excipit, si per legem vel per consuetudinem introductum est, ut ad eundem effectum, numeri agnatorum consensus sufficiat. Magdeb. Pol. Ordn. Cap. VIII. §. XXXII. Consensus vero dati sufficientes eum habent effectum, ut feudum cum onere imposito, ad dominum revertatur, & ut hoc tanquam ipse debitor agnoscere, successores autem, ut propter impositum, parte utilitatis per tempus possessionis devoluta carere, & oneri procurare debeant. (§. XI. & XIII. Præmed.)*

*Peter Müller Diss. cit. Cap. IV. th. II. & IX.*

#### §. VIII.

Ex datis consensibus, de intentione illa consentientium ut constet, necesse est. Si sine restrictione, in scriptis adjecti sunt instrumento creditum in super condito, per quod hypothea in feudo constituta est, satis de ea constare, nemo dubitabit. Interim constituta in feudo hypothea, non dat obligationem feudalem, sed creditori magis paratam executionem, secundum jus patriæ, quare ubi locorum & hæc & judicis confirmatio & annotatio in tabulas publicas, ad effectum prosecutionis juris erga substantiam requiruntur, legi, ejus sub præjudicio, morigerandum est. Contra ea, quæ ex lege vel ex consensu ad essentiam sufficiente, debita feudalia vera & absoluta facta non sunt, constituta hypothea non efficiuntur, sed ipsa hypotheæ constitutio potius irrita, & non nisi fructus, de quibus disponere licuit, afficere, nec propterea, ultra eorum, ad distractionem substantiæ ipsius, perveniri potest. Conf.

*Böhmer Diss. de Hypothea feudali expressa.*

#### §. IX.

*Debita consensuata vera subsidiaria, sunt: quæ ex eodem sufficiente consensu proficiuntur :*

a.) Si

- a.) *Si qualitas subsidiaria declarata est ;*  
b.) Si non satis declaratus est consensus in obligationem principalem substantia; quia minimum præjudicium præsumitur, & interpretatio consensus contra eum facienda, cujus in favorem datus est, cum is sit, qui de jure sibi concessio vigilare debuit.  
c.) Si modus, ratione temporis ita adjectus est, ut ad tempus certum restrictus sit consensus.

Inest enim, posterioris casus consensui, declaratio de subsidiaria obligatione, in casum quod intra tempus definitum, a vasallo contrahente erogatum ex ejusdem allodio expungi non possit, & in securitatem creditoris potius, & eum in finem adjectus, ut contrahenti pro nunc non denegari debeat creditum, censetur. Hæc, quæ subsidiaria posterioris generis, intra tempus definitum, eum, ratione ejus, quod a debitore principali vel ejus heredibus exigi non potuit, producant effectum, quem absoluta.

Determinatio vero ejus, quod ex feudi substantia nunc debetur sit, per computationem consuetam. Hypotheca in super creditum in feudo constitutam tantum sternit creditori directam, adversus feudi substantiam, salvo regressu vasalli possessoris procuratorio, adversus debitorem principalem, vel ejus heredes. (§. IX. seq. præmed. & VIII. præc.)

§. X.

*Debita feudalia spuria consensuata sunt, quorum intuitu vel a parte domini, vel a parte agnatorum, ad essentiam debiti vere feudalis requisiti consensus desunt.* (§. VII. præc.)

Non enim solum actus, qui forma sua destitutus, in præscripta qualitate nullus est, & effectum juris designatum propterea producere nequit, sed nexi feudali etiam non convenit, ut debitis vasallorum quibuscunque, effectus debiti vere feudalis tribuatur, (§. IX. seq. præmed.) Mox enim proprietates domini, mox vero agnatorum jus repugnant. Cum vero etiam sint, vel absoluta vel subsidiaria, quæ ad hanc vel illam classem referri debeant, disquirendum nunc erit. Sunt vero *absoluta*.

a. Re-



- a.) *Residuum pretii quo feudum emtum;*  
 b.) *Pecunia ad feudum emendum mutuo accepta, versa;* Et ad hæc debita expungenda, ex fructibus feudi, omnis successor (§. XIII. præmed.) tenetur. Non vero dominus præter consensum, cum nec utilitas ex iisdem in eum redundet.

*Debita familie* ita dici possunt, & cum ejus intuitu, feudi substantia non computari possit, nisi deducto ære alieno, (§. XIII. præmed.) prohibere non poterit, quo minus ad instantiam venditoris vel creditoris, in quantum juri eorum convenit, feudum ipsum distrahatur, salvo tamen jure domini. Creditoris vero jus, quod ad eum effectum sufficit, nequaquam obligationi feudali correspondet, (§. VII. præc.) consistit saltem in eo, quod res sua cum feudo connexa sit, familia vero, debitor, & dominus, ob defectum ejus quod interest, resistere nequeant, exposcunt.

- c.) *Debitum a primo acquirente, post acquisitionem feudi contractum, pro quo feudum oppignoratam est.* Et de hoc quidem, idem dicendum venit, si domini in oppignorationem consensus feudalis non accessit. Nec eo tenebuntur, a primo acquirente in simultaneam investituram suscepti eorumque heredes, nec collaterales eorumque descendentes, casu, quo feudum sub jure antiqui acquisitum est, nisi horum jus proprium, per reservationem facultatis, a primo acquirente ab initio restrictum fuerit.
- d.) *De debito, quod alter successorum similiter contraxit, quod vero omnes, qui familiam feudalem repræsentant suis consensibus muniverunt, si domini consensus non intervenit, idem valet, quod de prioribus.*
- e.) *Debitum quod domini quidem, (vel etiam sine domini consensu) non vero omnium, sed aliquorum tantum agnatorum consensibus contractum, vel ad quod numeri eorum sufficientis, pro more locorum, non accessere consensus, si feudi oppignoratio pro eo facta.* Involvit enim declaratio consensus in oppignorationem substantiæ, licet invalida, consensum absolutum quoad fructus, & interpretationem contra consentientem patitur, in quantum ejus per consensum declarata obligatio efficax esse potest.

f.) *De-*

f) *Debitum* quod ita contractum ut pro eo in *fructibus hypothecca constituta* sit, si vel domini vel agnatorum consensus adjecti. Hoc vero in casu necesse est, ut consentientes declaraverint, se velle perfolvere ex fructibus, quando ad ipsos feudi possessio devoluta fuerit, vel quod a feudi possessione abstinere velint, donec nomen expunctum sit.

*Subsidiaria* contra ea sunt:

- a.) Si, casu *posteriore*, declarata specialis obligatio, non adjecta est;
- b.) vel, si *anterioribus*, expressa declaratio intentionis subsidiariae consensus inest;

Cæterum, quæ de hypothecca propter hæc vel illa vassallorum debita in feudo vel in fructibus feudi constituta, sentiam, videre est, ex §. VIII. præc.

De debito autem quod contraxit *vassallus*, præter omnem *accedentem consensum*, cum fructus feudi, tamquam partem allodii sui tantum afficiat, & ad successores non nisi heredes allodiales transeat, dicendi locus non est.

#### §. XI.

Si feudalia bona, inter plures simul successores, distribuuntur, fieri sæpe numero solet, hi ut invicem sibi de consensibus in certam summam prospiciant, ita ut nunc possessores, vel ejus descendentes successores, eandem sibi pro lubitu & indigentia procurare possint. Vel idem etiam, in alia forma, ita celebrari curant, ut substantiam feudalem, ad certam usque summam reservatam, a nexu feudali eximant. Quæ ita compacta, ad pacta familiarum referuntur. Si iisdem consensus domini additus, compaciscentes vero tempore compactionis universam familiam feudalem representant, dubio caret, quod ea quæ dein a possessore vel ejus heredibus contracta sunt debita, naturam debitorum consensuatorum vere feudaliū, et quidem absolutorum habeant, nisi, in casu priore, ex tenore consensus, qualitas subsidiaria appareat. In posteriore enim semper absolutorum qualitate gaudent, quia contrahentis facultas magis libera consideranda venit. Sed in effectu uterque etiam dissentit in eo, ut successores tam, quam dominus, casu priore, *in quantum facultate*

C

*usus*



usus est antecessor vasallus, debita contracta agnoscere debeant, (§. VII. præc.) posteriore autem, feudo devoluto in possessorem alterius lineæ, vel reverso, ultimi possessores heredibus allodialibus, *id quod interest, inter summam pro facultate contractam, et eam, que per reservatum de pretio fundi feudalis determinatur, concessa*, exsolvere obligati sint, quia modus concessionis per declarationem allodificationis, plenam et actualem concessionem summam, qua reservata superatur, indicat, ita ut illa statim ad allodium concessionarii transeat, cum contra ea, in casu priore, dati consensus conditionales, & ab eventu devolutionis vel aperturæ suspensi sint. Si vero domini consensus ad ejusmodi pacta familiæ non accessit, vasallorum est, quod eorum auctoritate contractum, de quo in §. præc. X. ad d. sermo fuit. Sin dominus quidem, non vero omnes qui familiam feudalem repræsentant, vel hi præter dominum consenserunt, incidit debitum de quo cit. ad e, disquisitum est.

#### §. XII.

Si ipse dominus vasallo pecuniam mutuo dedit, post tempus feudi concessi, debitum feudale verum evenire nequit, licet, familia feudalis, vel per primum acquirentem, vel ex datis consensibus, debetrix sit. Nec enim factum domini, quo mutuatur, consensum feudalem involvit, nec, hic declaratus, effectum juris habet, quoad obligationem substantiæ, quia est res domini, & propria res nemini servit (§. II. præc. & §. III. præc. ad c.) Quæ ad vasallum igitur spectant pleno jure, fructus feudi, eo tantum obligabuntur, et debitum vasalli erit, ad ea, mutatis circumstantiis, referenda, quorum §. X. præc. mentio facta est.

#### §. XIII.

De debitis, quæ differuimus, axiomata:

1. *Quod omne debitum feudale verum & absolutum, sicuti & subsidiarium quod excusso debitore principali existit absolutum, legale sit an consensuale, ex ipsa substantia feudali tamquam onus eidem impositum perpetuum, exsolvendum veniat, per feudi possessorem administratorem (§. II. præc. & XI. præmed.)*

2. *Quod*



2. *Quod omne debitum feudale spurium ex fructibus feudi debeatur, pro qualitate principalis vel subsidiariae ejus obligationis, et jus tribuat adversus feudi possessores, ut ex fructibus, obligationi satisfaciant, iis, quæ ad debitorem pertineat.*

## Cap. II.

DE REFUSIONE DEBITORUM FEUDALIAM  
SOLUTORUM.


## §. I.

Quod jura creditoris feudalis, per cessiones possint acquiri, de eo nemo dubitat. Sed quod et vasallus possessor ab ejusmodi acquisitione non sit excludendus, perpendenda est quæstio.

*Non potest*, quia feudi administrator, et in hac qualitate tertius (§. XI. præm.) *excludi*. Mutatio creditoris enim, debitoris interesse nequit, cum idem sit, an tertio an vero vasallo procuratori debeatur, et an in tertii, an vero in suam utilitatem, ufuras solvendo vel computando, oneri, quod substantiæ est, procuretur a vasallo. Actionem vero præterea & passionem in eodem subiecto stare non inconvenienter, ubi in eadem persona duo sunt dominia diversæ speciei, notum est,

*Barth. Camerar. cit. p. 304.*

ita ut, vasallo refutanti feudum, [vel quod idem est, finita ejus possessione in genere] salvum sit jus separatum. Ad ea vero, quæ fructibus imposita sunt onera, quod attinet, cum a possessoribus feudi debeantur, propterea non minus verum est, posse per cessionem acquiri a vasallo, cum is qui debet, ex suo debeat, debitum eos tantum fructus, qui ad debitorem pertinent, afficiat, (§. VI. & XIII. præc.) & tertii ejusmodi jura possidere nullo modo impediatur. Fieri tamen potest, ut & cessio jurium creditoris, nullam eidem præbeat utilitatem,



non propter qualitatem clientelarem fiduciariam, sed propter civilem obligationem, puta si creditum sibi cedi curavit, quod ipse debebat. Quale sit, ex præcedentibus cognoscitur, & quod debitum vere feudale absolutum, non sit, ex §. §. VII. & IX. cap. præc. innotescit. Caterum, cum jam definita sint jura diverforum creditorum, apparet simul, quo jure gaudeant, qui in compensationem juris cessi solverunt debita feudalia. De hoc vero solutionis modo, fermo non erit, sed potius de ea solutione, quæ in proprio verbi significato accipienda est. Quum interim de eo jam constet, posse vasallum activum jus erga feudum sibi acquirere, de altera specie, quod de genere, sicuti propterea de cospecie evictum, omnino valere debet.

### §. II.

Per solutionem debiti jus creditoris extingui, non acquiri, fatis notum est. Similiter tamen, per factum solutionis, is qui liberatur, eo fit locupletior, & solvens in eo gessit ejusdem negotia. Iisdem factis, nisi de liberalitate solventis constat, tribui vim obligatoriam ad indemnificationem, jus commune, ex æquitate juris naturalis introduxit, et quod idem valeat circa solutionem debitorum feudalium in genere, ex dispositione legis feudalis (§. XII. præmed.) apparet. Iam igitur *vasallus possessor, qui solvit debitum vere feudale absolutum, substantiam* quidem ab hoc onere liberat, *melio-rem* vero eam simul eo reddit, & *jus sibi suisque acquirit, ad indemnificationem ex substantia feudali, per quam locupletantur tam dominus quam successores omnes, rem persecutoriam* (§. III. cap. præc.) Nec interest an ex consensu sufficiente tale sit, & ipse vasallus solvens, creditum lucraverit, si verum est, quod per consensum ad ejusmodi debitum sufficientem, idem effectum sit, quod legis dispositione efficitur, (§. §. IX. præmed. & III. VII. & XIII. n. 1. cap. præc.), quasi nempe alienatio partis substantiæ feudalis. Si enim in favorem vasalli possessoris facta, quæ valentibus prohiberi non potuit, eo impositi debitor non existet, sed procurator, (§. XI. seq. præmed. & VII. cap. præc.) & si illud solvit sua pecunia, efficit quo superatur, quæ per impositionem oneris, ad minus fructuosam domino et familiæ feudali redacta erat substantia, (§. XII. præmed.) do-  
mini



mini & familiae gessit negotia, (§. XIII. præmed.) nec ipsi, dum feudi possessio eo ad huc vivente finitur, nec ejus heredibus post ejus mortem, petentibus, refusio deneganda est.

§. III.

Quod non nisi finita possessione solventis exigi possit solutum, ex eo apparet, quod munus ejusdem procuratorium, non finitur, nisi cum ejus jure possidendi. Cum vero etiam, per solutionem, obligationis anterioris causa plane e medio tollatur, (§. præc.) et vassallus possessor, suum ipsius simul eo promoveat commodum, cujus ratio quidem perpetua est, jus tamen ei tantum tribuat, repetendi id per quod locupletantur dominus, & per eum (§. III. & XII. præmed.) successor, l. 6. §. 3. de neg. gest.

*Huber ad ff. h. t. §. 3.*

de quo non nisi finita possessione judicari possit: constat, nec antea jus ad refusionem competere posse. Sequitur & præscriptionem tantum currere, a die finitæ possessionis vassalli solventis. Nec interest an ipse successor heres sit, cum suo munere non impediatur, jus separatim ab antecessore acquisitum persequi.

§. IV.

Idem dicendum venit, de *debito feudali vero subsidiario*, & quidem de *legali*, (§. V. cap. præc.) si de conditione a qua suspensum, satis constat; de *consensuato* autem, (§. IX. cap. præc.) post excussionem debitoris principalis, cum hoc discrimine, quod existere nequeat absolutum, si ipse debitor principalis vel ejus heredes solverunt. Incumbit vero vassallo possessori substantiæ administratori, inquirere in opulentias debitoris primi vel ejus heredum, quo constat in quantum indemnificatio ab iisdem haberi potuerit, & ipse substantiæ gesserit negotia.

§. V.

Si tertius est qui solvit principale, erga substantiam feudalem ejusque procuratorem; subsidiarium, contra debitorem principalem vel ejus heredes,

quibus excussis, demum propter residuum æque adversus substantiam feudalem, jus ex negotiorum gestione quæsitum (§. II. præc.) acquirit, & statim persequi, ei vel ejus heredibus licet. Non enim tenetur, sicuti vassallus possessor, (§. III. præc.) quo minus hoc faciat. Propterea etiam eidem statim currit præscriptio.

### §. VI.

De debitis feudilibus spurviis in genere valet: quod ei, qui ea solvit, pro alio, ita ut hic cum damno solventis locupletaretur si refusio non fieret, ex negotiorum gestione jus competat ad refusionem, contra eum, cujus negotia gesta sunt. Ex hac præmissa regula generali sequitur: 1.) quod vassallus possessor qui & debita feudalia legalia spurva absoluta, & illa subsidiaria, non minus si solvit spurva consensuata absoluta vel subsidiaria, ad que vel tamquam ipse contrahens, vel contrahentis heres, vel ex consensu talis, debitor concurrat, iis solutis, jus ad refusionem non acquirat, ideoque heredibus suis idem relinquere nequeat. Illa prioris generis absoluta, vassallus possessor ipse debet, (§. IV. cap. præc. & §. XII. seq. præmed.) in compensationem meliorationum, quæ cum rebus ad feudum pertinentibus, ex allodio antecessoris transierunt. Ad debita legalia illa subsidiaria ex lege tenetur, et per eorum exsolutionem implet quæ ei præcepta, si solvit quæ per tempus suæ possessionis debebantur (§. VI. cap. præc.) Ad hæc consensuata spurva, & quidem absoluta, per vinculum consensus, vel ab ipso vel ab eo, a quo sanguinem traxit dati, obligatur; ad illa subsidiaria autem, excusso debitore principali sine effectu (§. X. XI. infin. & XII. cap. præc.) Nec interest, an adsit præter eum alius qui debitor fieret, nisi solutione extinctum esset debitum. Licet enim hic alius eo locupletior fiat, quod substantia feudalis in ejus utilitatem eveniat fructuosior, tamen dici nequit, eum firri cum damno solventis, & ita dici tantum potest: *evinire* ut locupletetur. Sola enim absentia partis bonorum, damnum, nec involvit nec probat, quia damnum est, quod patitur, non vero, quod in facultate solventis erat. Volenti enim non fit injuria. Nec, quia ipse debitor, ejus facto inest notio gestionis negotiorum tertii, quippe quæ exclusum habet gerentem ab obligatione. Et

quum

quum, juxta jus civile, debitori ex fidejussione solventi, contra debitorem, non ad id quod solvit, sed quod debetur actio parata sit, multo minus erit debitori solventi, ratione oneris indivisi, contra eum, cujus negotia, nondum erant, qui fortiore obligatione non tenebatur, quique in re restituenda futurus ad expletionem obligatus existere debebat. Sicuti igitur ejusmodi factum solventis nihil ponit ineffe locupletiozem alterum, ita & fundamento refusionis pariter destituitur. Arg. l. ii. ff. de in rem verso. Sequitur vero porro ex præmissis: *quod vasallus possessor, debitum feudale spurium solvens, tanquam tertius negotiorum gestor concurrere debeat, si factum ipsius, jus ad refusionem sibi parare, voluerit.* Meliorationum nomine, quæ antecessor adhuc debebat heredibus sui antecessoris, si solvit, vel pro quantitate debita, ex pari causa nunc sui antecessoris heredibus debitor, si expungit, regressus loco, contra heredes antecessoris parati, se ab obligatione versus eosdem compensando liberabit. Si cum eo compossessor feudi est, et debita legalia spuria absoluta vel subsidiaria pro compossessore solvit, hujus negotia gessit, & contra eum vel ejus heredes jus habebit. Si debitum consensuatum feudale spurium subsidiarium, omisso ordine, solvit, contra debitorem principalem vel ejus heredes jus experiri licebit; Si tandem, possessor alterius lineæ, & ex consensu antecessorum lineæ anterioris non obligatus, solvit, regressum sibi parabit contra heredes antecessorum, qui ex consensu debitores nominari possunt. De tertio enim solvente, qui nec successor nec heres cogitari potest, idem ut statuamus necesse est, quia nihil alienum ab eo, quod per factum solutionis pro alio, in genere, acquiritur. Persequatur igitur juxta præcepta legis scriptæ. (§. II. h. c.) Ad id quod et propterea præscriptio iisdem solventibus, sine discrimine vasallus possessor an tertius fuerit, a tempore solutionis obligatoriam, currere incipiat.

#### §. VII.

Quod, factum solutionis debitorum vere feudale, speciem præ se ferat seductricem, si vasallus possessor est is qui solvit, negandum non est. Et fere evitari quidem nequit error, si illum, ex non satis determinata ejus qualitate ipsam



ipsum dequitorem opinamur, & occasionem quam præbet feudi possessio, ac necessitatem solutionis & procurationis onerum feudalium ex munere vassalli administratorio derivandam, (§. XI. præmed. & §. XIII. cap. præc.) propria ejus obligationi tribuimus. Ex plurimis :

*Jll. G. L. Bohn. in princ. Jur. feud. cap. XI. sect. II. L. I. §. 32.*

*Siruvius in Syntagmate J. E. cap. XIV. §. XXIV.*

Licet vero ex præmissis in aprico, quod vassallus possessor eorum intuitu nominari non possit ipse debitor, vel potius evictum sit legibus, quod ei jus ad refusionem solutorum competat: tamen, si ex factis concurrentibus constat, eam ipsi fuisse mentem, ut, pro facultate, feudum ab onere liberare, neque vero jus inde sibi nasci, vel quod natum deserere, voluerit, voluntati ejus morigerandum est. Si prævidere potuit, se sine prole decessurum; si nec ex senatas habet; si voluptarias in feudum impendere solvit; si instrumeatum, quod solutum insuper conditum erat, receptum, asservari non curavit; si reperitur laceratum; si per cessionem jurium sibi non prospexit; si ipse debitum solutum feudale procuravit, & creditum lucravit; si testatus decessit, & æquali amore successores & reliquos heredes amplexus est; si in tabulis soluta omisit, licet de similibus disposuerit; sunt quæ singulæ magni ponderis, & si plures eorum concurrunt, præsumptioni juris, quod nemo liberalis, aversam producere omnino valent. Cum vero quælibet circumstantia variet rem, & contrariæ etiam accedere possint, quibus ex illis desumenda debilitatur argumentatio, v. g. si intabulas publicas factam debiti adnotationem, hoc soluto, non curavit deleri; & omnes prævideri nequeant, litibus dubito posse occurrere legibus, valorem earum determinantibus, quin potius, ut intricatiores eo reddantur, judicem, nisi voluerint, omnem regressum abscindere vassallo solventi, qui cessionem nominis sibi non prospexit.

#### §. VIII.

Si per pacta familiae (§. XI. cap. præc.) consensus dati sunt eum in finem *antecedentes*, ut feudi possessor vel ejus heredes, ad certam usque summam feu-

feudum possint onerare, iisdem quidem tenentur consentientes eorumque heredes, ut feudo devoluto, vel etiam reverso, debita ab illis quibus licuit contracta, tamquam onera feudo imposta agnoscere debeant. Consensus vero, cum conditionales tantum sint, & respiciant ad tempus devolutionis, ita ut consentiente: in tantum iisdem obligentur, in quantum tempore devolutionis vel etiam reversionis, constat, quod concessionarii pro facultate feudum oneratum reliquerint: (§. XI. c. prac.) eo fit, quod si eorum quis, debitum quidem contraxit, iterum vero solvit, jus ad refusionem sibi <sup>suam</sup>que non acquisiverit. Hoc enim in casu, liberatio feudi potius quam conservatio juris, ex jure concedentium, non praesumitur tantum, vel potius eidem perfecto correspondet.

## §. IX.

Moto concursu creditorum, & jura vassalli illis cedere, neminem fugit. Valet igitur & de jure ex solutione nominum feudalium competente. Si igitur solvit debita vere feudalia absoluta vel subsidia, verum est, creditores, finita vassalli possessione, (§. II. seq. huj. cap.) eorum refusionem exposcere posse. Debita vassallorum soluta statim. (§. VI. huj. cap.) Sin autem jurium cessionem pro facultate (§. I. huj. cap.) solventi sibi prospexit vassallus, cessat etiam statim persequi posse creditores, dubio caret, cum naturæ juris cessi insit. Inde erogata ad massam allodiam concursus pertinere, non est quod moneam.

## §. X.

Vassallo solventi vel ejus creditoribus, in persecutione juris cessi, satisfieri potest, per consensus domini & agnatorum in summam debiti solutam, ita ut sibi eam procurare possint vassallus, vel qui jura ejusdem administrant, creditores.

## §. XI.

Qualitati feudi, quod novum fit vel vero antiquum, ratio discriminis in  
D  
decisio.

decisione quæstionis de refusione debitorum solutorum non inest, quin potius, ut ex usu liberioris, quæ de illo competere solet, facultatis, pro conservatione juris inde nati præsumatur faciat, cum illa liberior, se referat ad exemptiones in favorem allodii.

## Cap. III.

DICTORUM APPLICATIO AD FEUDA IMMEDIATA  
BORUSSIÆ TERRARUM.

## §. I.

Quod intuitu feudorum immediatorum Borussiae terrarum, nexus feudalis, dominum inter & vassallos qui erat, sit sublatum ita, ut propterea allodialia bona vocata, jura tamen iis ad quos per successionem pertinent anteriora illa servata sint, propterea mentem refero ad ea, quæ, sub appellatione asservationum, in annis MDCCXVII. MDCCXIX. & MDCCXXII. & per Rescripta declaratoria de MDCCXVII. MDCCXVIII. MDCCXXIII. & MDCCXXIX. hicce in terris emanarunt. Meo iudice, per resignationem directi illam, effectum est: *ut instar fideicommissi familiae nunc ab universa familia feudali possideatur loco domini*, ita, ut familiae, res sit, eidemque feudum aperiatur sub lege ulterioris collationis, demum vero revertatur ad heredes allodiales.

## §. II.

Fidei commissi germanorum naturæ, quod nunc est, magis convenire, propterea defendo, quia resignatio non singulis, sed in genere facta, complectitur omnes qui jure familiae reservato ad successionem perventuri sunt; tempore resignationis factæ, qui possessor, feudi procurator, non sibi, ut per eum transeat ad successores, nec singulis acquirere potuit; (§. VII. IX. & XI. præmed.)  
acquiri-

acquisitum igitur familiae, in tertia persona, ut sit, necesse est; conservatio jurium vassallorum, praeter tertium concurrentem, cogitari nequit; & cum hunc tertium familia offerat feudalis, idem efficitur, quod per fideicommissa familiae compacta germanorum effectum fuit.

*J. H. Bebmer de fundamento pact. famil. ad fideicommiss. inclin.*

Posita vero hac qualitate, tam ex ea, quam ex resignatione facta ad manus familiae in genere, sequitur, quod feudum nunc res sit familiae, eidemque restituenda, vassallus vero familiae procurator, demum in omne jus succedat resignantis in locum, heredes resignatariorum allodiales, tempore quo fuisset reversum. Illo enim utebatur dominus jure, (§. III. praemed.) & aliud, ut ex resignatione jam eveniat, per quasi consolidationem nempe dominium plenum, juri resignato tamquam agnatis reservato, repugnat.

§. III.

Producit vero haec facta resignatio, singulares suos ac necessarios, circa id de quo sermo, effectus. Quoties enim tunc domini consensus ad essentiam actus obligatorii requirebatur, nunc agnatorum solus quidem sufficit. Praeprimis etiam intuitu debitorum, quorum obligatio per primum acquirentem, ad successores transit omnes, & quae propterea debita familiae dicta sunt, (§. X. Cap. I.) quia ratio cessat, quae domini obligationem & cum ea notionem debiti vere feudalis excludebat.

§. IV.

In quantum ad debita feudalia vera consensuata videri posset, quod in locis, ubi consensus numeri agnatorum certi ad essentiam eorum sufficit, nunc etiam omnium eorum, qui familiam representant, accedere debeant consensus. Verum enim vero, consuetudo vel lex liberiora jubentes, cum singulorum promoveant utilitatem, in collisione cum jure acquisito domini, omnino prevalere debent, nec audiendus est contrarium allegans, tam quia ex jure domini acquisito multiplicatus consensus derivari nequit, quam quia haec multiplicatio



plicatio in præjudicium reservati juris agnatorum necessario vergere deberet, quod tamen fini ac verbis promulgatorum contrarium est.

§. V.

Feudum demum allodium factum, quod cum oneribus transeat dubio caret, (§§. VIII. XI. & XIV. præmed.) quia mutatio qualitatis, nexum impositorum non solvit. Cum quibus vero, & ad quos heredes transeat, disquirendum erit. Puto, cum omnibus legalibus, & ex consensuatorum numero cum iis, qui non solum in specie sic dicta sunt, sed etiam, quæ vasallorum sunt, si ad ea solvenda obligatus erat, vel ipse dominus feudo reverso, vel is, ad cujus heredes feudum allodium factum venit. Cum legalibus, vel ex naturali obligatione quæ iisdem per leges (§. I. cap. I.) nunc inest, vel ex ratione legis vel consuetudinis efficiente, cum consensuatis vero illis, quia substantiæ nexa, cum his, in honorem ei, a quo sanguinem succedens traxit, debitum. Reliqua vero vasallorum debita solvere obligatus non erit, quia, quæ ab initio substantiæ feudi rite imposita non sunt, ex facto qualitatis mutatiæ non possunt convalescere, nec denique transmissionis alia causa cogitari potest, cum potius, qui inde damnum sentiet, sibi imputare debet, quod magis cautus mutuans non fuerit, nec de jure suo vigilaverit. Ad quos vero feudum allodium factum transmittatur, puto esse, non ultimi possessoris feudi, sed eos, qui a vasallo tempore mutati nexus feudalis feudi possessore, vel noviori tempore feudo acquisito, ab ejus primo acquirente, proximitatem derivare possunt. Cum enim, quoad substantiam, fideicommissorum familiæ naturam, nunc sapiat (§. I. & II. præc.) hoc feudorum genus, necesse est, ut analogiam hujus juris persequamur, in decidendis de hac materia quæstionibus. In fideicommissis familiæ autem, proximitas agnatorum, ex persona gravantis, non novissime morientis agnati, æstimatur.

*Berger Oecon. Jur. L. 2. T. 4. th. 32. not. 6.*

§. VI.

Propter illam horum feudorum qualitatem etiam verum est, quod ultimo vasallorum feudi possessori, non liceat illud alienare nec onerare, etiamsi nunc consoli-




consolidatum jus domini directi videatur. Consolidatio enim vero non est, quippe quæ acquisitionem divisi juris ejusdem speciei requirit, cum contra ea, hoc casu, dominium utile & directum diversa speciei sint, & tantum in unam personam convenient, qualitatibus convenientium immutatis, (§. I. & II. h. c.) dum vivente eo, nec tempus incidit, quo allodii naturam induit feudum, nec mutata ejus indole, illum producit effectum, cum non desit, cujus jus proprium facultates restringit.

#### §. VII.

Tandem feudi hujus generis possessoribus, vel eorum heredibus eadem, quæ reliquorum feudorum rectorum, jura enumerata competere, ut nempe debita feudalia soluta repetant, non est quod disceptemus, cum jura agnatorum circa illa immutata manserint, et per familiam feudalem tantum continuetur, quod antea domini erat, dominium directum. Sed et ultimo possessori vel ejus heredibus, eadem esse adscribenda, ex eo patet, quia, *in quantum debitum vassalli solutum* est, jus contra eum cujus negotia gesta sunt, ex administratione feudi derivari nequit, & acquisitum, quemadmodum reliqua, contra tertium persequitur, (§. VI. cap. præc.) & transmittitur; *in quantum vero debitum feudale in specie sic dictum solutum* est, jus vasallo indenatum, correspondit obligationi eorum, qui ad possessionem substantiæ feudalis in allodium versa primi perveniunt. (§. V. præc.)

#### §. VIII.

De debitis feudalibus mixtis, ne omissa videantur, postremo adjiciam, quod non existere ea putem, nisi ad debitum, quod ex versione in utilitatem feudi, vel ex lege præceptiva substantiam jam afficit, & consensualis obligatio sufficiens domini & agnatorum accesserit. Si vasallus possessor, in id, ut feudi vel partis ejus interitus avertatur vel in id quod adjectum, & per se subsistere & cedi nequit, fructuosum feudo, impensas fecit, vel etiam lege jubente, ex substantia feudi, debita solvit, sua sit, vel tertii pecunia, eum in finem data  
& mutuo



& mutuo sumta, facta versione vere feudalia debita existere dictum est. (§. III. c. I.) Si de versione dubitatur probanda, quia facti est, ideoque non presumitur. Hujus probationis gratia consultum est, ut recenti memoriae de eo quod factum est, succurratur, per agnitionem debiti versi a domino & agnatis. Quae si facta per sufficientem consensum in mutuacionem, tam ex versione quam ex consensu, obligationem mixtam habebis. Veram talem autem eo tantum casu, si & domini & agnatorum omnium vel quorum numerus sufficit, consensus accesserunt. Opposito enim casu, ex assensu insufficiente, essentia obligationis feudalis in specie sic dictae consensualis, derivari non potest, licet assensus duorum vel plurium agnatorum, propter jus ad utilitatem substantiae, accedente domini consensu propter substantiam, effectum probationis versionis mutui producere possint. Caeterum debita feudalia mixta, cum ex magis stipato jure quoad probationem vires suas tantum exerant, nihil habent circa refusionem eorum solutorum diversum ab eo, quod de illis, qui ex uno eorum fonte proveniunt disertum est. Ad finem itaque

SUFFICIENT.

---









Kl 961

ULB Halle

005 366 577

3







DE  
DEBITIS FEUDALIBUS


EORUMQUE  
SOLUTORUM REFUSIONE  
DISQUISITIO,

AD  
FEUDA IMMEDIATA  
BORUSSIAE TERRARUM APPLICATA.

AB  
J. F. FABRICIO,  
AD CAS. CRIM. CONSILIAR. REG. IN DUC.  
MAGDEBURGICO.



DESSAVIÆ ET LIPSIAE  
IN BIBLIOPOLIO ERUDITORUM,  
MDCCLXXXII.



*P. 346.*

